

(In margine sequitur). Quemadmodum Sacra eius Maiestas sese id clementer etiam facturum obtulit, dummodo sub praetextu domesticae libertatis per dominos et Nobiles aliquid questus et lucri gracia in Regnum non inducatur vel educatur.

Decernunt finaliter iisdem Status et Ordines praescripti, ut dominus Reuerendissimus Episcopus Zagrabiensis et Banus, suos transmittat Commissarios, qui ubique in cunctis bonis dominorum Magnatum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum, Ecclesias Parochiales visitent, inquisitionemque faciant, et ubi per dominos et Nobiles Bona aliqua, Veteranis temporibus per priores Patronos ad easdem Ecclesias collata, tandem vero per Successores eorundem adempta reperierint, ea omnia sua serie denotata praefato domino Reuerendissimo Episcopo et Bano perferant, suaeque dominatio Reuerendissima provideat: ne Ecclesiae Dei, amissa sua dotatione per huiusmodi Immeritam ademptionem Bonorum, in ultimam deveniant desolationem.

(In margine sequitur.) Postquam tamen Commissarij istiusmodi statum eiusmodi bonorum ab Ecclesijs alienatorum cognoverint, remque ad dominum Episcopum Zagrabiensem retulerint, Idem de Commissionis factae serie, priusquam de restitutione bonorum suis Ecclesiis fienda provideat, Sacram Maiestatem Caesarem edoceat, et restitutio cum scitu et approbatione Maiestatis fiat.

Supplicant praeterea Status et Ordines praescripti Sacrae Caesariae Regiae Majestati, domino illorum clementissimo, humillime, ut praescriptos articulos, in eadem Congregatione, communibus ipsorum votis, ac pari et vnanimi Consensu conclusos, omniaque et singula in eis contenta, ratas, gratas et accepta habere, suumque Regium consensum illis praebere, auctoritate Sua Regia clementer acceptare, approbare, et confirmare, ac Statibus et Ordinibus fidelibus suis praescriptis quam primum remittere clementer dignetur. Datum in Ciuitate Regia Zagrabiensi, feria tertia proxima post praescriptum festum Cathedrae Beati Petri Apostoli, tercio scilicet die Congregationis praenotatae. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Octauo.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi et in Archivio Regni Croatiae.

1568. 5. MAJI. VIENNAE.

Maximilianus Rex Articulos Generalis Congregationis, A. 1568 Zagrabiae celebratae, confirmat.

Nos Maximilianus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniversis. Quod fideles nostri Domini Praelati, Barones, Nobiles, caeterique Status et Ordines Regnorum nostrorum Croatiae et Sclauoniae, in generali eorum Conuentu, pro festo Cathedrae beati Petri Apostoli presentis